Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Anno Mundi 6630. Anno xpi 1431.

Eugenius Quartus papa / patria venetus / familia Condelmeria populari quidem sed antiqua / patre Angelo natus / Gabriel antea vocatus / hoc anno quinto nonas marcii pontifex creatur: hic Gregorii duodecimi ex sorore nepos / Celestinorum habitum innovans congregationis sancti Georgii in Alga venetiis fuit et eum secum Romam recusantem duxit / ac primo thesaurarium fecit / deinceps episcopum senensem / post in cardinalem retulit / demum pontifex factus / nil eo honore clarior, nulla in re pristinam vitam mutavit / principio autem pontificatus sui malis consiliis ductus, divina humanaque omnia perturbavit. Nam et populum romanum ad arma excivit: et generali concilio basiliensi unde infinita mala orta sunt auctoritatem dedit / approbatis corum per litteras apostolicas decretis / Verum postea ad seipsum rediens omnia prudenter ac constantissime egit / Vir aspectu insignis et veneratione dignus / gravis in dicendo parumque eloquens / mediocris litterature / multe cognitionis historie presertim / Liberalis in omnes / sed vel maxime in litteratos / quorum familiaritate delectatus est / Nam Leonardum Aretinum Carolum poggium / Georgium Trapesuntium / Blondum / viros doctissimos secretis suis admisit / Ad iram non facile movebatur ob iniurias illatas / et maledicta hominum / Aut minores et dicteria preberentur / Gymnasia omnia quam diligentissime fovit / maxime vero Romanum / secum quod omne genus litterature adhibuit / Religiosos miram in modum dilexit / Eosque opibus et immunitatibus auxit / Bella autem ita amavit / quod minus in pontifice videri debet / Et delphinum Caroli regis francie filium cum magno equitatu in basilienses contraxerat / Cum impetu dissipatus est conventus ille / Constans preterea in pactis servandis est habitus / nisi quod pollicitus fuisset quod revocare quam perstare satius esset / Splendidus in victu familie / parcus in suo / Et a vino ita alienus ut abstemius merito vocaretur / familiares habuit admodum paucos / sed viros doctos / Et quorum opera in gerendis rebus uti posset / Imperator Sigismundus cum sex mensibus Senis substitisset ad Eugenium missus invito cum confedere Romam profectus / Coronam imperii donatur / Verum mortuo Sigismundo imperatore a quo basiliense concilium incrementum habuerat / Creatoque ab electoribus Alberto austrie duce Concilium ferrariense inchoavit / Eo profectus Imperator grecorum ab Eugenio susceptus est / Inde florentiam transtulit / Exornare demum ecclesiam dei edificiis et sacellis est annixus / ut ex capella pontificia et eneis sancti petri valuis apparet / Moritur autem pontificatus sui anno decimo sexto / septimo kalendas marcii / Anno MCCCCXLVI. Vir ingenio et gestis rebus insignis / Etatis sue anno sexagesimo quarto / Quo anno beatum Nicolaum Tolentinum in sanctos retulit confessores / Sepelitur que in basilica petri / sepulchro marmoreo / hoc epitaphio / Eugenius iacet hic quartus cor nobile cuius / Testantur vite splendida facta sue, / Istius ante sacros se prebuit alter ab ortu / Alter ab occasu cesare utrumque pedes / Alter ut accipiat fidei documenta latine, / Alter ut aurato cingat honore caput / Quo duce et armenii graiorum exempla secuti / Romanam agnorunt ethiopesque fidem. etc.

Foelix Quintus Anno domini 1438. die 17. novembris. Eugenio pontifice a basiliensi concilio philippi ducis procuratione deposito / Et in Sasmate pontifex electus / Sedit annis 9. Quo creato cuius signo magne sediciones in ecclesia dei exorte sunt / Cum christianam res publica trifariam divisa, Aut foelicem aut Eugenium sequeretur: essentque qui neutrales vocarentur / quod neutri obtemperarent: hic unque felix primus Sabaudie dux fuit / quem prius comites appellabantur / Et Sigismundo Cesare titulo ducatus obtento: Cum annis ferme xl post patris obitum provincie gubernacula tenuisset / Aucto patrio imperio / parta undique pace / Ac demum relictis principatus glorie fastibus, In heremum se recepisset / cum sex viris equestris ordinis etate etiam provectis / mundo et pompis eius renunciasset / Ad Ripallie locum tamquam paradisum deliciarum sibi delegit / Cumque eo in statu vitam celibem in terris ageret / A basiliensi concilio pontifex electus fuit / barbam totondit quam prius nutrierat / Ducatum primo genito suo tradidit / Ecclesiasticas cerimonias didicit / Stipatus magna nobilium caterva basileam pervenit / Ubi inter duos filios egregia facie adolescentes tamquam romane presul ecclesie coronatus est / Celebravit sepe divina / benedixit plebibus / officia autem ordinavit / Cardinales doctrina et auctoritate prestantes assumpsit / Verum cum pacis et humilitatis amator existeret mortuo Eugenio pontifice / illico nullis pulsatus stimulis Nicolao eius successori humanissime cessit / Relicto nomine pape, Cardinalatus honorem retinuit, In patria sua legatum de latere recepit / Deficiens demum in senectute bona / fuit autem clarissimus princeps et genus sue elegancie forma / ac regia dignitate et propriam eloquentiam moribus integer, vita et religione sanctus, In subditos clemens, In bello magnanimus / Et in otio lucidissimus / Ac demum omnium felix / si servum suum ecclesiasticis titulis non fecisset.

Scisma hoc xxiiii. inter Eugenium et felicem usque ad Nicolaum quintum ob varias disceptaciones qui pontifices essent super galliam perduravit / non sine scandalo rei publice christiane.

Solis facta est defectio. Et varia bella et dissidia secuta sunt.

Et Cometa apparuit secuta est occisio hominum in leodio.

Linea summorum pontificum

Eugenius quartus

Foelix quintus.